

**ERROR CIRCA PERSONAM
ET ERROR CIRCA QUALITATES
COMMUNES SEU NON
IDENTIFICANTES PERSONAM (C. 1097)**

1. Introductio

In hac elucubratione intendo aliquos conceptus fundamentales qui structuram c. 1097 determinant examini subiicere, attentis tum evolutione historica doctrinae tum terminologia et ordine systematico quibus Codex Iuris Canonici utitur quod attinet influxum erroris in actus iuridicos.

Nullus canonista ignorat his ultimis decenniis multum scriptum fuisse in iuris matrimonialis provincia circa errorem sub omnibus eius respectibus. Argumentum quidem difficile et complexum, quod decursu historiae canonistas et moralistas vexavit, praesertim vero recentioribus temporibus propter evolutionem quam subiit doctrina circa plura quae intimam relationem dicunt cum influxu erroris in validitatem matrimonii.

Plures enim conceptus claves adhibentur in materia erroris, qui hodie videntur fluctuare: error circa personam, error dans causam contractui, error circa qualitatem directe et principaliter intentam, error circa aliquam alterius qualitatem quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter perturbare potest, error dolosus ad obtinendum consensum patratu, error circa proprietates vel circa sacramentalem, determinans vel non determinans voluntatem; item

error circa qualitatem in errorem personae redundans, error «simplex» circa unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, de quibus non amplius fit mentio in Codice vigenti.

Nonnulli ex his conceptibus habent longam et laboriosam historiam; alii sunt recenter nati ac nondum evoluti. At id quod mirum videtur in eo est quod etiam conceptus qui in campo canonico habebantur iam maturi et satis definiti, hodie saepius exhibentur ac si non haberent pro se elaborationem doctrinalem quae saltem ignorari non potest. Saepius praeterea commentando Codicem Iuris Canonici terminologiae et distinctiones inducuntur, quae ab scriptoribus de aliis ordinamentis iuridicis adhiberi solent; quod quidem non iuvat ad claritatem et certitudinem iuris canonici.

In hoc sectore iuris matrimonialis forse cum maiore urgentia quam in aliis opus est bene distinguere diversos aspectus quaestionum vel diversas quaestiones inter se. Pro nostro scopo est fundamentalis sequens distinctio:

a) Quaestio substantiva, scilicet utrum aliqua determinata species erroris v.gr. illa quae in c. 1097 exhibetur uti error circa qualitatem, qui dat causam contractui, vel circa qualitatem directe et principaliter intentam, invalidet necne matrimonium.

b) Quaestio terminologica et systematica: scilicet quo termine tecnico illa determinata species erroris designetur in iure canonico et in quam categoriam actus iuridici collocanda sit intra systema generale iuris canonici de nullitate actuum iuridicorum.

Saepius disputationes versantur circa has secundarias etsi momentosas quaestiones, quo fit ut confusio haud levis saepe creetur rem substantivam inter et rem terminologicam et systematicam. Huiusmodi ve-

ro confusio inter rem substantivam et rem terminologicam et systematicam serpit inde a primis fontibus actualis c. 1097 usque ad nostra tempora, plurimum conferens ad res, iam in se implexas, magis implicatas reddendas.

2. *Species erroris in c. 1097 contentae*

Canon 1097 correspondet c. 1083/CIC 1917, quem oportet prae oculis habere:

Canon 1083/CIC 1917:

§ 1. *Error circa personam invalidum reddit matrimonium.*

§ 2. *Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum:*

1° *Si error qualitatis redundet in errorem personae;*

2° *Si persona libera contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.*

Canon 1097:

1. *Error in persona invalidum reddit matrimonium.*

2. *Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur.*

Clare patet agi de errore facti in persona vel in qualitate personae. In c. 1083/CIC 1917 dicebatur «circa personam» vel «circa qualitatem personae».

Dolus in hoc canone non habet momentum. Si enim agitur de errore personae, idem operatur error dolosus ac error non dolosus, quia agitur de errore circa id quod constituit substantiam actus (cf. c. 126). Pariter si agitur de errore circa qualitatem directe et

principaliter intentam, eundem influxum invalidantem exerit error dolosus ac error non dolosus. Et ratio est quia in hac factispecie tandem aliquando agitur de errore qui «recidit in conditionem sine qua non» (cf. c. 126). Si agitur denique de errore in qualitate personae, quae non intendatur directe et principaliter, in hoc canone Legislator statuit principium generale iuxta quod talis error, sive dolosus sive non dolosus, etsi det causam contractui, non reddit irritum matrimonium.

Hoc autem principium generale subit exceptionem de qua in canone sequenti 1098¹, iuxta quam si error est dolosus, dolo quidem qualificato illa clausula «ad obtinendum consensum patrato», et versatur circa alterius partis qualitatem utique qualificatam illis verbis «quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter peturbare potest», invalidat matrimonium. Exceptio inducta est a Legislatore Codicis vigentis, quae tamen nunquam in Historia iuris canonici vixit.

In c. 1097 ergo in considerationem veniunt tres species erroris: a) error in persona; b) error in qualitate personae «directe et principaliter intenta»; c) error in qualitate personae, quae non intenditur «directe et principaliter». Duae priores species invalidant matrimonium; tertia autem non reddit nullum foedus coniugale et quidem etsi error «det causam contractui».

Si collatio instituitur inter duos canones, patent tres mutationes fundamentales: 1) disparet figura erroris conditionis servilis, qui dicebatur, quia institutum servitutis prorsus obsoletum devenerat; 2) nulla

¹ C. 1098: Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtinendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter peturbare potest, invalide contrahit.

mentio fit erroris qualitatis qui redundat in errorem personae; 3) mentio autem fit erroris qualitatis quae «directe et principaliter» intenditur.

Statim exsurgit quaestio: Utrum nempe, abolita figura erroris conditionis servilis, suppressio speciei erroris qualitatis, qui «redundet in errorem personae», quae exprimebatur in c. 1083/CIC 1917 atque inductio speciei erroris qualitatis directe et principaliter intentae de qua nulla mentio fiebat in illo canone, aliquam doctrinae immutationem secum ferant.

Iam vero istae duae species erroris non sunt noviter inventae, sed, e contra, iter longum idemque laboriosum in historia simul percurrerunt. Ideo necesse est ut synthetice hoc iter perlustremus.

3. *Historia quaestionis usque ad Sánchez*

Uti notissimum est, elaboratio doctrinalis de influxu erroris in validitatem matrimonii initium sumit ab illa distinctione quam, uti videtur, Gratianus primus proposuit:

«Verum est quod non omnis error consensum excludit; sed error alius est personae, alius fortunae, alius conditionis, alius qualitatis. Error personae est, quando hic putatur Virgilius et est Plauto. Error fortunae, quando putatur esse dives qui est pauper, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est»².

² C. 29, q. 1. Apud Gratianum non invenio fundamentum ad affirmandum eum iam innuere in germine speciem erroris qualitatis redundantis in errorem personae. Meo iudicio, non sufficiunt verba quae inveniuntur in propositione casus: «*Cuidam nobili mulieri nunciatum est, quod a filio cuiusdam nobilis petebatur in co-*

Petrus Lombardus sumit hanc eandem divisionem uti fundamentum expositionis doctrinae. At meo iudicio habet explicitationem magni momenti. Postquam affirmat errorem personae et errorem conditionis servilis consensum matrimonialem non admittere, facit distinctionem magnae significationis in nostro argumento, quam non invenio apud Gratianum:

a) *«Si quis ducat uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam et virginem: non potest eam dimittere»³.*

Est exemplum quod iisdem fere verbis habetur apud Gratianum. Exprimit doctrinam quae colligitur hodie in prima parte c. 1097, § 2: «error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit».

At dein subiungit:

«Si quis feminam nobilem in coniugem petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium, quia non consentit vir in istam, sed in aliam».

Casus propositus solvitur in sensum negativum. Non habetur consensus, secus ac in casu praecedenti. In utroque casu agitur quidem de errore qualitatis. Nec refert naturam qualitatis, si excipias qualitatem conditionis servilis. Ratio differentiae pendet ab intensitate intentionis agentis. Dum enim in primo exemplo contrahens «putat» mulierem esse castam et

niugem; praebeuit illa assensum. Alius vero quidam ignobilis atque servilis conditionis nomine illius se ipsum obtulit, atque eam in coniugem accepit». Tota enim attentio Gratiani in expositione defigitur in conditionem servilem illius «ignobilis», ideoque non attendit ad speciem erroris redundantis.

³ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, dist. 30, c. 1.

virginem, quae tamen non est; in secundo, contrahens «*petit in uxorem feminam nobilem*», id est, habet intentionem peculiariter explicitam et intensam in illam qualitatem.

Petrus Lombardus, dans rationem nullitatis in hoc casu, addit: «quia non consentit vir *in istam, sed in illam*». Ideo movetur in campo erroris personae. Invenit rationem nullitatis in eo quod, iuxta eum, habetur error in persona: Vir consentit non in istam, quae ei exhibetur, sed in illam nobilem quam intendebat.

Maxime vero efferendum est:

1) Vir errans reapse non consentit «in istam», quia «ista» carebat illa qualitate ab ipso intenta. Hoc sensu verificatur in casu error in persona.

2) Attamen cum dicit auctor quod consentit «in illam», haec «illa» est persona prorsus indeterminata, scilicet quaecumque habuerit illam qualitatem a contrahente intentam. «Nobilitas» enim est qualitas communis multis personis. Ideo intentio huius contrahentis, qui errat, dirigitur non in unam personam determinatam, diversam ab «ista» in quam apparenter consentit, sed modo indeterminato in quamcumque mulierem, quae ornata fuerit illa qualitate.

3) Ex modo loquendi Petri Lombardi potest dici in hoc textu inveniri primam forse originem conceptus «error qualitatis in errorem personae redundans», intellectus non de qualitate quae uni soli personae est propria, sed de qualitate communi pluribus personis, quae ideo remanent indeterminatae. «Illa nobilis» est una ex multis mulieribus nobilibus, quae sunt in mundo.

4) Haec species erroris eodem prorsus modo exhiberi potest uti «error qualitatis directe et principaliter intentae», qui elaboratur tempore posteriore.

5) In textu citato non apparet explicite neuter ex duobus memoratis terminis.

Factis his observationibus, circa textus Gratiani et Petri Lombardi, venio ad famosum textum S. Thomae, qui consideratur punctum ex quo sumit initium conceptus «error qualitatis in errorem personae redundans», qui inveniebatur in c. 1083/CIC 1917 quique eliminatus est in c. 1097.

Dicit S. Thomas:

«Error nobilitatis, in quantum huiusmodi, non evacuat matrimonium: eadem ratione qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium: unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc si alius praesentetur ei, quam filius regis, est error personae, et impediatur matrimonium»⁴.

Ex hoc textu procedunt maxima ex parte discussiones et opiniones circa hanc quaestionem.

Notemus:

1) Reaffirmatur principium iuxta quod error qualitatis, quaecumque ea fuerit, v.gr. nobilitatis vel dignitatis, in quantum huiusmodi, non vitiat consensum.

2) Apparet cuniatus terminus «error qualitatis redundans in errorem personae».

3) Attamen non satis clare eruitur quid S. Thomas voluerit significare hoc termine.

4) Unum est evidens: Ut error qualitatis redundans in errorem personae distinguatur ab errore qualitatis «in quantum huiusmodi», requiritur ut intentio

⁴ S. THOMAS, *Supplem.*, q. 51, a. 2, ad quintum.

errantis dirigatur directe in personam ornatam illa qualitate.

At gravis difficultas interpretationis exsurgit relate ad exemplum quod adhibet: «si autem directe intendit consentire *in filium regis, quicumque sit ille*». Cum enim lingua latina non habeat articulos sive determinantes (italice: il, la, lo) sive indeterminantes (italice: uno, una) textus intellegi potest duplici sensu:

- a) sensu determinato: Italice, «il figlio del re»;
- b) sensu indeterminato: Italice, «un figlio di re».

In primo sensu agitur de qualitate quae uni tantum personae competit ideoque illam determinatam personam prorsus indigitat, et practice aequivalet nomini proprio, quo illa persona designatur.

In secundo sensu, agitur de qualitate communi pluribus personis, quae proinde non signat unam determinatam personam ex iis quae pollent illa qualitate.

Si textus S. Thomae intelligitur primo sensu, reapse dicendum esset agi simpliciter «de errore personae», nec opus esset explicationem adeo amplam et complexam. Immo ipse terminus «error qualitatis redundans in errorem personae» videretur superfluus, cum res in se ipsa sit clara nec eget terminologia adeo complexa. Nullitas matrimonii iuxta hanc interpretationem est prorsus evidens. Agitur enim tandem aliquando de errore in persona.

Ideo videretur St. um Thomam evolvere in hoc puncto doctrinam quam vidimus supra a Petro Lombardo propositam, illo exemplo: «Si quis mulierem nobilem petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium, quia non consentit vir in istam sed in illam», scilicet agitur de errore circa qualitatem communem directe intentam. Haec autem intentio directa (et praevalens) in textu Petri Lombardo

indicatur verbo «petat» (mulierem nobilem); in textu vero S. Thomae verbo «directe intendit consentire» (in filium regis).

Auctores posteriores usque ad Thomas Sánchez textum S. Thomae interpretantur utroque sensu: Maxima pars illum intelligit de qualitate communi directe intenta; non desunt tamen qui textum reducant ad qualitatem propriam et personam determinatam⁵. Sit specimen Sylvester Prieras: «... Et nota quod S. Th. non loquitur de rege in communi: quia dicit filium alicuius regis: sed de rege determinato, puta Franciae vel Siciliae, in cuius regno forte erat quando scribebat»⁶.

Duo sunt maxime efferenda in hac periodo:

1) sub respectu substantivo, communiter tenetur errorem circa qualitatem communem directe (et principaliter) intentam invalidare matrimonium.

2) Sub respectu terminologico et systematico, haec species erroris communiter consideratur uti «error qualitatis in errorem personae redundans».

4. *Thomas Sánchez eiusque influxus*

Uti notum est, Thomas Sánchez dedicat huic materiae peculiarissimam attentionem. Pro nobis suffi-

⁵ Plurimos textus in confirmationem invenes apud João C. ORSI, *O erro de qualidade que redunde em erro de pessoa: Contribuição de Thomas Sánchez*, Dissertatio ad Lauream In Univ. Gregoriana, Romae 1992, pp. 85-105. Notandum est Auctores huius temporis magis intentos videri ad determinandam cognitionem requisitam circa personam de cuius qualitate erratur, quam ad determinandum num qualitas oporteat sit individualis an possit esse etiam communis ut detur «error qualitatis in errorem personae redundans».

⁶ SYLVESTER PRIERAS, *Summa Sylvestrina*, v. *Matrimonium*, 8, 1, 4.

ciat memorasse ipsum acriter defendere conceptum erroris qualitatis qui redundat in errorem personae limitari ad casum in quo agitur de qualitate quae designet individuum personam. Si qualitas est communis non habetur error redundans in errorem personae. In hunc sensum interpretatur ipse textum S. Thomae. Totus intentus in determinandis requisitis ut possit dari reapse talis error, non multam attentionem praestat ad casum erroris qualitatis communis quae directe et praevalenter interdatur.

Sententia Sánchez habuit influxum definitivum in hac provincia. Exceptis paucis omnino auctoribus, post Sánchez omnes acceptant et repetunt sententiam secundum quam sub termine «error qualitatis in errorem personae redundans» venit tantum error circa qualitatem quae unam individuum personam designat. Plurimae diversae expressiones adhibentur, at substantia est apud omnes fere auctores eadem⁷.

Ad errorem circa qualitatem communem directe intentam minus attendunt. Attamen facti species, si in considerationem venit, diversis modis explicatur eique agnoscitur influxus invalidans matrimonium.

Sic Basilius Ponce recurrit ad consensum virtualiter condicionatum:

«quando et quoties animus contrahentis expresse fertur in personam sub ea qualitate tamquam conditionem assensus...»⁸. «... quia in eo casu talis dispositio virtute est conditionalis ex disponentis intentione, si ea subsistat circumstantia, quando quidem, ut supponimus, animus dispo-

⁷ Cfr. J.C. ORSI, *op. cit.*, pp. 107-156, ubi plurimos textus in confirmationem invenies.

⁸ BASILIUS PONCE, *De Sacramento Matrimonii Tractatus*, lib. 4, cap. 22, n. 2.

nentis expresse nititur illi circumstantiae, et illa ducitur ad contrahendum»⁹.

Peculiariter profunda est explicatio Joannis Gonet, qui affirmat in hoc casu qualitatem constituere, ex intentione agentis, partem substantialem obiecti:

«Tum vero error qualitatis redundare censetur in errorem personae, quando qualitas est simul cum persona per se intenta a contrahente... Si foemina contrahens, simul cum persona, per se intendat dignitatem et qualitatem, ita ut utrumque simul per modum unius integri et totaliter obiecti consensum determinet»¹⁰.

In eadem linea Elbel:

«... error versans circa substantiam personae dirimit; non item error circa qualitatem, nisi qualitas ex intentione contrahentis redundet in substantiam personae seu potius contractus»¹¹. «... In tali casu qualitas non minus intenditur quam persona, ideoque fit pars obiecti principalis ex intentione contrahentis, et consensus vere pendet a tali qualitate»¹².

Denique indico explicationem Georgii Gobato et alii qui recurrunt ad categoriam finis et medii:

«Quando qualitas est finis matrimonii, ita ut matrimonium sit unicum medium ad finem illum assequendum, seu obtinendam illam qualitatem, tunc error qualitatis impedit valorem matrimonii»¹³.

⁹ *Ibid.*, n. 7.

¹⁰ JOANNES B. GONET, *Clypeus Theologiae Thomisticae*, t. 5, disp. 9, art. 1, n. 7.

¹¹ B. ELBEL, *Theologia Moralis per modum Conferentiarum*, pars 10, Conf. 43, n. 88.

¹² *Ibid.*, n. 90.

¹³ GEORGIUS GOBATO, *Experientiae theologiae*, Trac. 9, casus 4, n. 113.

Uti notum est, peculiarem significationem habet in hac materia S. Alphonsus. Breviter de eius positione:

1) Prima eius regula agit simpliciter de matrimonio condicionado:

«Prima: tunc qualitas redundat in substantiam, cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur, quod, deficiente qualitate, omnino deficit consensus»¹⁴.

2) Ipse in secunda regula acriter defendit requiri ad errorem qualitatis redundantem in errorem personae ut qualitas sit individua unius determinatae personae:

«Secunda regula est, quando qualitas non est communis aliis, sed propria et individualis alicuius determinatae personae, puta si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniae, tunc qualitas redundat in personam; unde errando in qualitate, erratur in persona, et proinde nullum est matrimonium»

Expresse confutat auctores qui tenent qualitatem communem sufficere ut error qualitatis transeat in errorem personae. Asserit praeterea hos auctores non bene citare S. Thomam pro eorum sententia:

«Nam ibi S. Doctor non loquitur de eo qui in contrahendo credit illam esse filiam regis, sed de eo qui antea directe et principaliter intendit qualitatem personae, nempe contrahendi cum filia regis»¹⁵.

3) Denique enuntiat regulam tertiam, quam affirmat tradi a S. Thoma, quoad errorem in qualitate:

¹⁴ S. ALPHONSUS M. DE LIGUORIO, *Theologia Moralís*, lib. VI, trac. VI, n. 1014.

¹⁵ *Ibid.*, n. 1015.

«Si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam»¹⁶.

Circa terminologiam et ordinem systematicum notamus:

1) Pro S. Alphonso termini «error qualitatis redundans in substantiam» et «error qualitatis redundans in personam» sunt fere aequivalentes. Attamen ipse adhibet terminum «error qualitatis redundans in personam» solummodo in secunda regula, scilicet quando agitur de errore in qualitate propria et individuali alicuius determinatae personae. In aliis duobus regulis adhibet terminum «error qualitatis redundans in substantiam».

2) Prima regula agit de matrimonio conditionato, tertia autem de specie nullitatis quae potius pertinet etiam ad campum conditionum. Attamen S. Alphonsus tria capita nullitatis de quibus in tribus regulis, recenset uti capita nullitatis ex errore. Ordo quidem systematicus forse non probandus, sed quem communiter adhibent doctores, iuxta eius expositionem:

«Communiter tamen et recte docent dd. quod error circa qualitatem personae bene irritaret matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam. Sed magna difficultas est ad dignoscendum, quandonam error qualitatis redundet in substantiam, sive in personam. Tres attende regulas.»

Saeculo 19 doctrina manet immutata. Exigua attentio videtur fuisse praestita regulis S. Alphonsi quilibet. Doctrina Sánchez circa conceptum erroris redundantis in errorem personae pergit esse communis.

¹⁶ *Ibid.*, n. 1016.

4. *Status doctrinae tempore codificationis 1917*

Non obstantibus difficultatibus et varietate sententiarum quoad multa puncta, quae potius respiciunt condiciones ut diversae species erroris reapse verificentur, tempore codificationis anni 1917, doctrina devenerat communis quoad haec principia:

1) Error in persona invalidat matrimonium. Persona autem intelligitur vir vel mulier in sua individua et substantiali identitate.

2) Error in qualitate personae, praeter casum de errore circa condicionem servilem, invalidat matrimonium:

a) si error versatur circa qualitatem, quae uni tantum personae competit quaque persona illa in quam consensus fertur indigitatur in sua individua identitate, v. gr. primogenitus Petri.

b) Si error versatur circa qualitatem pluribus vel multis communem, quae a contrahente directe et principaliter intenditur.

3) Quilibet alius error qualitatis, «etsi det causam contractui», non invalidat matrimonium. Terminus «dare causam contractui» aequivalet termino «error antecedens»¹⁷.

4) Nihil refert naturam qualitatis: quod sit maioris vel minoris valoris obiectivi, intrinseca vel extrinseca personae, cum vel sine relatione cum natura instituti matrimonialis. Decursu temporis distinctio gratianea errorem qualitatis inter et errorem fortunae disparuit. Omnes huiusmodi errores uti errores qualitatis considerantur.

¹⁷ Hanc aequivalentiam explicavi in meo articulo: *De sensu clausulae «dummodo non determinet voluntatem» c. 1099*, in *Perriodica*, 81 (1992) 469-493. De hac quaestione, in pp. 474-477.

5) Attenditur tantummodo ad animum errantis. Ideo eodem prorsus modo habetur error dolosus ac error non dolosus. Dolus non habet momentum ullum in hac provincia.

6) Uti patet, ut error in qualitate incidat in nullitatem matrimonii requiritur ut errans ad illam qualitatem in qua errat aliquo modo magis vel minus explicito attendat illamque intendat.

Quod attinet vero terminologiam et ordinem systematicum, notamus:

1) Terminus «error qualitatis redundans in errorem personae» invenitur iam in citato textu S. Thomae. Inde autem a Sánchez communiter terminus reservatur ad indicandum errorem circa qualitatem uni personae propriam.

2) Ad designandum errorem circa qualitatem pluribus vel multis personis communem, quae a contrahente directe et principaliter intendatur, non habetur terminus technicus. Influxus invalidans admittitur quidem inde a Petro Lombardo, ut vidimus, etsi non desunt haesitationes, provenientes, meo iudicio, ex difficultate circumscribendi figuram, illam distinguendo ab errore circa qualitatem simpliciter atque a consensu simpliciter condicionado, ad quem procul dubio reduci potest.

3) In theoria generali actuum iuridicorum, maturata erat figura erroris, quae colligitur in c. 104/CIC 1917: «Error actum irritum reddit, si... vel riciat in condicionem sine qua non». Quamvis theoretice possit discuti de legitimitate collocandi hanc nullitatem inter errores actum iuridicum invalidantes, cum potius collocanda videatur inter nullitates quae a voluntate condicionante pendent, re quidem vera nullitas ex errore «qui recidit in condicionem sine qua non» agnoscitur et elaboratur in doctrina canonica. Error

qualitatis directe et principaliter intentae pertinet reapse ad speciem erroris qui recidit in conditionem sine qua non, uti multi auctores substantialiter tenent, etsi diversimode sese exprimant.

6. Codex 1917

Codex 1917 in c. 1083, praeter casum condicionis servilis, codificat tantummodo duas formas erroris facti invalidantis matrimonium: a) errorem circa personam; b) errorem circa qualitatem personae qui redundat in errorem personae.

Usque ad annum circiter 1970 tum conceptus personae tum conceptus erroris redundantis, intelleguntur unanimiter ab auctoribus et iurisprudentibus sensu quem i termini habebant tempore codificationis, etsi animadvertatur incongruentia quaedam, cum secunda figura erroris, id est error redundans, coincidat de facto cum prima, seu cum errore circa personam. Notat Cappello absque ulla haesitatione:

«Iste error, proinde, est vere et proprie substantialis, nec ullo pacto distinguitur ab errore de quo in § 1 eiusdem c. 1083; et melius forte fuisset si distincta ac peculiaris mentio facta non esset, ad confusionem et erroneas interpretationes vitandas»¹⁸.

Codex, e contra, nullam mentionem facit de errore qualitatis directe et principaliter intentae. Probabiliter omissa est mentio, hoc in loco, quia reputatum est casum reduci ad condicionem appositam, de qua ille Codex agebat in c. 1092. Etenim Gasparri qui partes adeo determinantes habuit in Codice praeser-

¹⁸ F. CAPPELLO, *De Matrimonio*, Roma 1961, p. 514, n. 586.

tim in titulo *De Matrimonio*, cum in suo tractatu agit de errore, dicit errorem circa qualitatem irritare matrimonium «in tribus tantum sequentibus casibus». Et postquam recenset duos casus codificatos in c. 1083, addit: «c) Si consensus datus sit sub vera et proprie dicta conditione illius qualitatis quae deest». De hoc casu tamen dicit se acturum cum agat de conditione¹⁹. In schemate a. 1913 hic canon (qui in schemate erat c. 364) apparet iam in sua redactione definitiva. Attamen in § 2 addebatur numerus tertius: «3º. Si consensus datus sit sub conditione qualitatis quae desit». Hic numerus deletus est et materia remissa est ad canonem de matrimonio condicionato.

Patet tamen agnosci influxum invalidantem errori qualitatis directe et principaliter intentae. Quaestio tangit non caput nullitatis quod, positus ponendis, admittitur, sed eius collocationem in systemate generali nullitatum actuum iuridicorum. In mentem revocamus S. Alphonsum collocare matrimonium conditionatum inter nullitates ex errore. Exemplum huiusmodi haesitationum habetur in illa famosa coram Heard, Dinajpur., 21 iunii 1941²⁰. Ad rem autem clare P. Cappello, agendo de errore qualitatis:

«Idem valet etiamsi qualitas positive et expresse intendatur, ita ut voluntas feratur in eandem tanquam in obiectum consensus.

In ista hypothesis nullitas matrimonii non est repetenda ex errore circa qualitatem seu ex defectu qualitatis, sed unice ex voluntatis actu seu ex intentione vel conditione, cui voluntatis consensus alligatur»²¹.

¹⁹ GASPARRI, *De Matrimonio*, II, Typ. Pol. Vat. 1932, p. 19, n. 792.

²⁰ SRRD 33 (1950) 528-533.

²¹ CAPPELLO, *op. cit.*, p. 513, n. 585.

7. *Novitates conceptuales*

Codex 1917 non agnoscebat influxum invalidantem errori doloso. A tempore autem quo Ioannes XXIII annunciavit recognitionem Codicis, plures premebant ut in Codicem recognitum introduceretur caput nullitatis matrimonii ex errore doloso. Evolutio generalis doctrinae circa certos valores personae humanae inhaerentes aliosque instituto matrimoniali proprios, qui forse prius non satis attendebantur, multum tunc efferebantur. In hoc contextu impatientia quaedam animadvertebatur ad solvendo quosdam casus matrimoniales, qui videbantur nulli, quibus tamen, attento Codice tunc vigenti, non facile inveniebatur via ad nullitatem declarandam.

Tunc postquam aliqua tribunalia inferiora (Molinense, a. 1966; Senonense, a. 1968) quaedam tentamina fecerant conceptus traditionales erroris in personam et erroris qualitatis in errorem personae redundantis immutandi, sententia c. Canals 21 aprilis 1970 mutationes gravissimas suo Marte induxit, quae postea in nonnullis sententiis rotalibus adhibitae sunt ad solvendo casus similes, haud quidem sine oppositione tum ex parte scriptorum privatorum tum ex parte aliorum Auditorum Rotae Romanae.

Immutationes essentielles quoad conceptus erroris circa personam et erroris circa qualitatem in errorem personae redundantis, prout continentur in c. 1083, attentis tum statu doctrinae tempore codificationis tum interpretatione communi sive auctorum sive iurisprudentiae, sunt sequentes:

1) Inducit distinctionem hucusque ignotam in iure canonico quoad notionem erroris redundantis. Huiusmodi notio, iuxta Canals, est «multiplex»: alia strictissima «cum qualitas accipitur tamquam unica

nota identificans personam physicam ceteroquin ignotam»; alia vero minus stricta, «cum qualitas *prae* persona intenditur».

2) Introducit notionem prorsus novam: «Tertia notio est cum qualitas moralis iuridica socialis tam intime connexa habetur cum persona physica ut, eadem deficiente, etiam persona physica prorsus diversa resultet».

De hac nova personae notione agam infra. Nunc subiungo aliquas observationes generales:

a) Iuxta doctrinam et iurisprudentiam usque ad Canals, non agitur de notione «multiplici» erroris, alia «strictissima», alia vero «minus stricta», sed de duobus speciebus erroris, scilicet error circa qualitatem individuam et error circa qualitatem communem directe et praevalenter intentam, quarum utraque invaliditatem matrimonii inducit, et quidem eadem efficacia iuridica.

b) Secus ac in tota historia iuris canonici, iuxta Canals, ut habeatur error qualitatis invalidans matrimonium non requiritur intentio subiectiva errantis directa in illam qualitatem. De facto in causa Nichte-royensi de qua agit Canals, mulier errans nec cogitaverat quidem umquam de qualitate illa quae adducitur ut fundamentum nullitatis, sc. error circa statum civilem liberum viri conventi. Agnoscitur efficacia invalidans «voluntati interpretativae», quae dicitur. Mutatio haec est immensi ponderis, si cum doctrina traditionali confertur.

c) Non obstante quod a. 1970 iam sciebatur canonem parari de influxu invalidante erroris dolosi, in causa c. Canals nulla attentio praestatur dolo, etsi vir maxime dolose processerat erga mulierem. Re quidem vera, si haec notio erroris redundantis acceptaretur, canon de dolo, qui exhibebatur uti magna innova-

tio in iure matrimoniali canonico, videtur prorsus superfluous devenisse.

4) Ex duobus primis membris distinctionis, quam Canals inducit, sequitur figuram erroris qualitatis directae et praevalenter intentae, iuxta ipsum, includi in figura «erroris qualitatis in errorem personae redundantis» c. 1083/CIC 1917, quod sub respectu terminologico non respondet doctrinae fere communi inde a Sánchez; sub respectu autem systematico discedit a Codice, qui errorem circa qualitatem praevalenter intentae noluit collocare in c. 1083, sed illam nullitatem collocat inter nullitates ex «condicione» apposita et non revocata de qua in c. 1092 vel ex errore «*qui recidit in condicionem sine qua non*» de quo in c. 104 (semper Codicis 1917).

Non est hic locus agere de legitimitate vel minus huius sententiae, quam substantialiter secutae sunt plures sive Tribunalium inferiorum sive Rotae Romanae, simili fundamento nixae. Meo iudicio, sententiae huiusmodi oculis benignis iudicari possunt tantummodo habita ratione momenti historici transitionis, quo ius canonicum inveniebatur. At negari non potest methodum adhibitam ab his iudicibus ultragressam fuisse limites interpretationis et applicationis legis et sibi assumpsisse munus legislatoris. Quod in ordinarmento canonico Iurisprudentiae non competit nisi intra limites valde strictos, iure provisos.

8. *Codex 1983*

In hoc contextu parabantur novi canones de errore in matrimonio.

Inde a primo schemate Organismi Consultationis a. 1974 misso, apparet schema canonis de dolo (c. 58),

quod postea remansit substantialiter immutatum et devenit actualis c. 1098. Canon autem 1083/CIC 1917 in illo schemate conservabatur hoc modo in simplicissimam formam reductus:

(c. 57) § 1. *Error in persona invalidum reddit matrimonium.*

§ 2. *Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit, nisi redundet in errorem personae.*

Schema canonis repetebat, suppressa figura erroris condicionis servilis, canonem 1083/CIC 1917, nulla inducta mutatione, nisi quoad redactionem. Idem textus omnino immutatus manet in schemate a. 1980 membris Plenariae misso (c. 1051), quod significat nullam observationem alicuius momenti schemati a. 1974 fuisse factam.

At in Relatione a Secreteria praeparata pro Plenaria mense octobris a. 1981 habenda, invenitur haec propositio quoad § 2:

«Ex officio: *Norma haec ulteriori studio submissa est et a Coetu Consultorum proponitur ut ita mutetur*»:

«*Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur*».

«*Correspondet doctrinae S. Alphonsi (Theologia Moralium, Lib. VI, Tractatus VI, cap. III, dubium II, n. 1016) et iurisprudentiae hodiernae S. R. Rotae*»²².

Propositio transiit in textum definitivum.

²² *Relatio complectens syntheses animadversionum ab Em. mis atque Exc. mis Patribus Commissionis ad novissimum schema Codicis Iuris Canonici exhibitarum, cum responsionibus a Secreteria et Consultoribus datis, Typis Pol. Vat., 1981, ad c. 1051, § 2, p. 256.*

9. Interpretatio c. 1097 in sensum sententiae c. Canals

Conceptus «erroris qualitatis redundantis in errorem personae» eliminatus est ex textu canonis. Attamen post Codicem promulgatum non desunt sive scriptores sive etiam iudices ecclesiastici qui pergant adhibere conceptum erroris redundantis ea amplitudine intellectum qua Canals primus interpretatus est. Immo dicitur eliminatum esse ex canone hunc conceptum quia superflua erat eius mentio explicita. Talis enim conceptus intelligitur, dicunt, implicite inclusus in errore personae de quo in § 1: «*Error in persona invalidum reddit matrimonium*».

Uti iam fecerat Canals eiusque immediati asseclae, insistunt hodie in novam aestimationem personae, quam exhibet Concilium Vaticanum II, praesertim in const. *Gaudium et Spes*. Exhibetur conceptio traditionalis personae uti conceptio pure philosophica, in suis elementis metaphysicis solum considerata, ut quid nimis abstractum a realitate existentiali, vel, e contra, ut quid tantum physicum, ut cum dicitur «persona physica», «persona in sua identitate physica» etc.; dum Concilium, dicunt, superans illam conceptionem veterem, exhibet personam cum suis omnibus valoribus et dignitate, ita ut «persona» exhibeatur potius uti «personalitas», quae dicitur, hominis concreti, in sua totali et complexa realitate existentiali. Nec mirum si posita hac contrapositione concludatur quemlibet errorem circa qualitatem alicuius momenti redundare in errorem personae. Consectaria in iurisprudentiam matrimonialem, uti patet, sunt immensae gravitatis.

Adduco in confirmationem causam N cuiusdam tribunalis, reticitis nominibus: Matrimonium celebratum erat absque ulla peculiari previsionem. Vir autem

in vita intima se manifestavit sexualiter debilem ac parum activum et efficientem, ita ut uxori non plene satisfaceret. Matrimonium declaratum est nullum in prima instantia atque nullum confirmatum est in secunda, non ex impotentia, quia vir consummaverat matrimonium, neque ex incapacitate assumendi onera, quia iudicibus hoc caput visum est difficilis probationis, sed ex errore qualitatis redundante in errorem personae. Modus argumentandi, quem iudices adhibent, est hic: Habetur error qualitatis redundans in errorem personae quia mulier putabat se contrahere, uti quilibet contrahens, cum comparte sexualiter activa et efficiente. In casu talis qualitas deerat in viro, ergo mulier erravit in persona quia vir comprobatus est persona diversa (non enim habebat efficientiam sexualem) ab illa cum qua mulier putabat se contrahere, id est cum viro sexualiter activo et efficiente. Nec refert quod c. 1097 non memoret errorem in qualitate redundantem in errorem personae, quia, dicunt iudices, haec species erroris implicite continetur in prima § canonis: «*Error in persona invalidum reddit matrimonium*».

Notetur bene: 1) Non agitur de qualitate individuante, sed communi. 2) Non agitur de qualitate directe et principaliter intenta, quia mulier numquam antea fecerat problema specificum de hac re. 3) Non habetur dolus. 4) Patet agnosci influxum invalidantem intentioni interpretativae.

Quoad haec omnia, liceat mihi subiungere duas observationes:

Prima observatio: respicit rationem ob quam in c. 1097 non fit mentio «erroris qualitatis in errorem personae redundantis».

Etenim vero qui subscribit, cum inter Consultores qui ultimum textum «ex officio» ad Commissio-

nem Plenariam paraverunt recenseretur, testari potest rationem ob quam textus actualis propositus est non aliam fuisse quam hanc: proponere nempe textum quo clarius pateret Codicem promulgandum in provincia erroris facti nullam aliam mutationem inducere quam illas duas, de quibus clare in textibus iam propositis constabat, scilicet: a) eliminationem capitis nullitatis ex errore condicionis servilis; b) agnitionem novi capitis nullitatis ex dolo qualificato, de quo in canone sequenti 1098.

Ad hunc finem efficacius obtinendum, attento quod conceptus novus erroris qualitatis qui redundat in errorem personae, inductus a Canals, satis divulgatus et acceptatus erat, visum est opportunum proponere textum, in quo clare et expresso modo eae tantum duae species erroris qualitatis admitterentur quibus in traditione, una vel alia terminologia vel classificatione, agnoscebatur efficacia invalidans matrimonium: a) error qualitatis identificantis personam (primogenitus Antonii), de quo non fit mentio utpote superflua, quatenus est simpliciter error in persona; b) error in qualitate directe et principaliter intentus, quia error circa qualitatem, ita intentam, viciat consensum, uti agnoscitur una vel alia terminologia inde a Petro Lombardo.

Consultores erant plene conscii hanc ultimam speciem erroris non inveniri in c. 1083/CIC 1917, quod minime obstat eius efficaciae invalidanti. Tandem aliquando haec species reducitur ad errorem «*qui recidit in condicionem sine qua non*» de quo c. 104/CIC 1917 atque in c. 126 Codicis nunc vigentis. S. Alphonsus, in regula tertia, citata a Consultoribus, explicat hanc nullitatem asserendo quod «*tunc error in qualitate redundat in substantiam*».

Consequenter gratis asseritur conceptum erroris

qualitatis qui redundat in errorem personae, intellectum sensu a Canals dato, includi implicite in § 1 c. 1097: «*Error in persona invalidum matrimonium*», necnon hanc fuisse rationem ob quam in canone deleta est mentio expressa erroris redundantis. Ratio etenim fuit praecise contraria, scilicet ut occasio auferretur ne amplius conceptus erroris redundantis in sensu a Canals intellectus adhiberetur.

Verum quidem est historiam alicuius textus atque rationes ob quas ille determinatus textus a Coetu laboris vel a Commissione Legislatori propositus fuit non constituere criterium interpretationis prorsus certum ac peremptorium, etiamsi talis textus propositus dein ad litteram in legem transierit. Attamen negari non potest historiam textus et rationes ob quas ille textus determinatus Legislatori propositus fuit constituere subsidium interpretationis haud parvi momenti, quia Legislator tandem aliquando textum propositum et non alium promulgavit.

Secunda observatio: Respicit conceptum «personae» in iure canonico.

Quoad novum conceptum «*personae*» a Canals inventum, qui adhuc in causa N, supra indicata, adhibetur, liceat notare talem conceptum prorsus alienum esse ab ordinamento canonico, sive historico sive Codicis 1917 sive Codicis vigentis.

Ut Codici vigenti stemus, in Libro I *De Normis generalibus*, habetur titulus VI, qui *De personis physicis et iuridicis*» agit, ubi nomine «*personae*» intelligitur subiectum attributionis iurium et officiorum, in sua identitate individuali, praescendendo prorsus a qualitatibus quibus ipsum ditatur vel quibus caret. Ita, v.gr. cum dicitur quod «Baptismo homo constituitur *persona*» in Ecclesia (c. 96); vel quando statuitur quod «*persona* quae duodevigesimum aetatis annum

explevit, maior est...» (c. 97, § 1); vel quod «*Persona* maior plenum habet suorum iurium exercitium» (c. 98, § 1); vel quod «*Persona* minor in exercitio suorum iurium potestati obnoxia manet parentum vel tutorum...» (ib. § 2); vel quod «*Persona* dicitur: incola... advena... peregrinus...» (c. 100), etc., clarum est substantivo «*personae*» intelligi subiectum ultimum attributionis, in sua individualitate et identitate, prorsus praescindendo a qualitatibus quibus illa persona ditata est.

Sufficiant exempla indicata. At substantivum «*persona*» in Codice plus quam centies recurrit, iuxta *Indicem verborum ac locutionum Codicis Iuris Canonici* ab Ochoa compilatum. In his omnibus locis nomine «*personae*» venit subiectum ultimum attributionis iurium et officiorum, in sua individuitate et identitate, praescindendo prorsus a qualitatibus vel defectibus eidem inhaerentibus idemve afficientibus. Minime obstat quod ut persona apta sit ad determinata officia vel ad determinatos actus ponendos requiratur ut ipsa praedita sit certis ac definitis qualitatibus a iure determinatis, v.gr. matrimonium facit partium consensus «inter personas *iure habiles*» (c. 1057, § 1), id est naturaliter capaces et iuridice immunes ab impedimentis, siquidem impedimentum dirimens «*personam inhabilem* reddit ad matrimonium valide contrahendum» (c. 1073).

Magis specifice, in titulo De Matrimonio substantivum «*persona*», praeterquam in c. citato 1073 et in c. 1097 quem commentamur, quater invenitur: in c. 1086 de impedimento disparitatis cultus: «Matrimonium inter duas *personas*, quarum altera sit baptizata... altera non baptizata...»; in c. 1090 de impedimento criminis: «Qui intuitu matrimonii cum tertia *persona* ineundi...»; in c. 1124 de matrimoniis mixtis:

«Matrimonium inter duas *personas* batizatas, quarum altera...»; denique in c. 1148 § 3 de poligamis qui convertuntur: «Ordinarius loci, prae oculis habita condicione morali... locorum et *personarum*...». Iam vero non videtur posse esse dubium quin in his omnibus locis substantivum «*persona*» adhibeatur uno eodemque sensu, scilicet pro subiecto iurium et officiorum, in sua individualitate et indentitate sumpto, abstractione facta a omnibus ulterioribus qualitatibus quibus singulum subiectum afficitur in sua existentia reali.

Ideo non apparet quo fundamento iuridico in c. 1097 substantivum «*persona*» possit intelligi alio sensu ab illo, quem habet in reliquo Codice et speciatim in titulo *De Matrimonio*. Agitur enim de conceptus traditionalis novo sensu, qui introductus est absque sufficienti fundamento in illa coram Canals, quique perfectus est adhiberi in aliquibus causis ad solvendos casus qui hodie solverentur vi c. 1098 de errore doloso. Promulgato autem Codice, sustineri non potest, nisi argumentis peremptoriis probetur, conceptum personae in c. 1097, § 1 habere sensum diversum ab illo quem habet in omnibus aliis locis Codicis.

Notandum est praeterea hanc novam interpretationem conceptus «*personae*» ac consequenter conceptus «*erroris qualitatis qui redundat in errorem personae*» reddere superfluum canonem 1098, de dolo, qui ab omnibus exhibetur uti magna novitas novi Codicis. In causa enim nullitatis N, supra memorata, non habebatur dolus. Et tamen matrimonium declaratum est nullum vi c. 1097, § 1, id est ob errorem in persona, et quidem duplici decisione conformi, quia habebatur error circa efficientiam sexualem viri, qui error, iuxta iudices, redundat in errorem personae. Consequenter non operae pretium est ut in posterum scientia et iurisprudencia laborent ad definiendos terminos

novi canonis de dolo, quia labor esset prorsus inutilis. Item remissio ad c. 1098 quae habetur in c. 1084, § 3 «Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, *fir-mo praescripto c. 1098*», esset superflua et careret sensu, cum eodem modo operaretur nullitatem matrimonii error dolosus quam error non dolosus circa sterilitatem.

Hac interpretationem admissa, redditur superflua etiam § 2 c. 1097, quia non requireretur ut qualitas sit «directe et principaliter intenta» ut error circa qualitatem haberet vim invalidantem. Immo ne requireretur quidem ut error qualitatis «det causam contractui», quia in causa nullitatis N, supra memorata, qualitas illa numquam modo aliquo explicito proposita est considerationi contrahentis. Sufficeret ergo sic dicta «voluntas interpretativa», quae indicat simpliciter statum intentionalem illius qui non contraheret si sciret compartem illa qualitate carere (vel illam habere). Iam vero in tota traditione canonistica huic voluntati interpretativae numquam agnita est vis ulla iuridica vel moralis. Ideo etiam hac super re, in nova interpretatione habetur mutatio immensae gravitatis, quin detur probatio ulla solido fundamento nixa.

Quae quidem gravissima consecutaria qui novum conceptum personae et erroris qualitatis in errorem personae redundantis adhibent etiam in iurisprudentia, non videntur animadvertisse.

10. *Sensus clausulae «etsi det causam contractui» c. 1097*

Denique velim verbum dicere de clausula «etsi det causam contractui» c. 1097, § 2. Scriptum est enim his ultimis annis hanc paragraphum continere contrac-

tionem quamdam, cum dicit «Error in qualitate personae, *etsi det causam contractui*, matrimonium irritum non reddit, *nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur*». Error enim in qualitate *qui dat causam contractui*, dicunt, est substantialiter idem ac error in qualitate *directe et principaliter intenta*.

Negari non potest agi de speciebus erroris valde affinibus quas distinguere in campo probatorio saepius erit vix possibile. At speculative, in campo doctrinali et substantivo, dubitari non potest agi de speciebus erroris profunde inter se diversis, quae ceterum uti diversae sunt semper in ordinamento canonico consideratae. Error enim in qualitate qui dat causam contractui est simpliciter error antecedens, etsi sit ratio ob quam voluntas movetur ad contrahendum²³. Ad rem Cappello, referens doctrinam communem:

*«Verba "etsi det causam contractui" significant quod error qualitatis ne tunc quidem irritat matrimonium, cum quis ita est animo dispositus ut praecise intuitu talis qualitatis se determinet ad contrahendum, ac propterea si cognosceret qualitatis defectum, non contraheret. Quo in casu, uti patet, voluntas adest mere interpretativa seu hypothetica»*²⁴

In hac facti specie versamur im campo erroris stricto sensu. Ideo talis error regitur principio generali enuntiatio in c. 126: «Actus positus... ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit... irritus est; *secus valet...*». In nostro campo, actus, nempe matrimonium, valet quia error circa qualitatem non versatur circa id quod constituit substantiam actus, etsi ille error fuerit ratio ob quam actus positus est.

²³ Cf. supra, notam 17.

²⁴ CAPPELLO, *op. cit.*, p. 513, n. 585, 5º.

E contra, si agitur de qualitate «directe et principaliter intenta», haec qualitas, etsi natura sua non pertineat ad substantiam actus, nempe foederis coniugalis, tamen ex voluntate praevaletenti contrahentis ingreditur in obiectum consensus, ita ut consensus reapse pendeat ab existentia vel minus illius qualitatis. Casus regitur principio generali enuntiato in altero membro c. 126: «Actus positus ex errore... aut *qui recidit in conditionem sine qua non*, irritus est».

Uti alias observavi, potest discuti num hoc caput nullitatis actus iuridici recte recenseatur inter nullitates ex capite erroris, cum videatur rectius collocandum inter nullitates ex parte voluntatis; attamen in ordinamento canonico hic est ordo systematicus quem legislator sancit ac proinde cohaerenter procedit si facti speciem de qua agimus inter nullitates ex capite erroris recenset²⁵.

Mea intentio in hoc articulo exarando erat meam modestam appotationem ad rectam interpretationem et applicationem complexi c. 1097 conferre, vitata qualibet specie controversiae. Quod si quid lucis contulerim, laetus ero.

URBANO NAVARRETE, S.J.

²⁵ De hac quaestione amplius egi in articulo supra citato (in nota 17), pp. 488-489.